quocunque in defectu Bedelli clara voce jurabit et suo juramento tanquam non illicito stare et illud semper in recenti memoria servare studebit. Non est enim tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis aeternae. (c. Si vero de Jurejurand.).

STATUTUM XXXIX.

De Diplomate seu Literis Testimonialibus promoto Doctori dandis.

Quia is, qui Doctoris nomen et insignia falso usurpat paena arbitraria, qui vero ad Actus Doctorales se ingerit, paena falsi (secundum Bennium part. 2. Cap. 52 et Ricc. Decis. Curiae Archiep. Metrop. Part 3. decis. 330.) puniendus est, ac suum Doctoratum per Diploma authenticum, vel alias legitimas probationes (jux. Mascard. Concl. 527. a Besol. in Dissert. Cap. 10. ibi: Probandus citatum.) deducere tenetur: ideo quicunque ad gradum Doctoratus in Utroque Jure, in Facultate Nostra Juridica promotus fuerit, ne a quopiam vexatorie impetatur, promotionis suae publicum Documentum seu Diploma authenticum et in forma probanti cum Sigillo Facultatis et subscriptione Decani pro tempore existentis ac Promotoris si distinctus a Decano fuerit, habere debet, illudque ipsi, Decanus (nisi causa legitima subsit) sine omni tergiversatione extradere tenetur sub forma sequenti amplissima.

Forma Diplomatis.

M. NN. Utriusque Juris Doctor et Professor etc. Facultatis Juridicae in Universitate Cracoviensi Studij Generalis Decanus et in Actu infra descripto Promotor.

Universis et singulis praesens publicum Doctoratus Diploma visuris, lecturis vel audituris salutem in Eo, qui est omnium Nostrum salus. Foecundissima bonarum artium Parens, studiorum omnigenaeque eruditionis indulgentissima altrix, orbis Poloni Stella Polaris, ac totius Septemtrionis Luminare Majus alma Universitas Studij Generalis Cracoviensis, amplissima Summorum Pontificum Urbani V. et Bonifacij IX. conces-